



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

15 Pretium justum rerum in puncto indivisibili non consistit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

mens ipsius conditoris, quòd census ad septem legitimè imponi possint, & scientia Papæ omne vitium purgat. *Castad. decis. 2. desim. n. 4.* habetq; vius dispensationis, *Felin. in cap. cum vigesimum. num. 5. de 17 off. & potest. jud. deleg.*

Justum † enim pretium rerum non consistit in puncto individuo, sed in quadam mediocritate, quæ latitudinem habet per gradus, quemadmodum generaliter docet Aristot. *lib. 2. ethic. cap. 6.* adeo quòd cuiusque rei pretium † est triplex, ¹⁶ supremum, infimum, & medium, nec potest dari casus, quo res præcisè centum valeat, nec plus, nec minus, quoniam centum valet pretio medio, pretio supremo centum, & quinque, & pretio infimo nonaginta quinque, iniquitas enim in pretio consistit in excessu, vel diminutione iusti pretii: quod ad mediocritatem pertinet, quæ cum latitudinem habeat, in pretium supremum, infimum, & medium, & in hoc triplici pretio iniquitas contingere nequeat, secundum *Sot. in 4. dist. 15. quest. 2.* Navar. *in cap. qualitas, de pecuniis, dist. 5. num. 45.* & *Covar. lib. 2. variar. resolut. cap. 3. num. 1.* in hac varietate quinque, sex, septem, octo, novem, aut decem pro centenario, taxa septem, quæ magis communiter practicatur, & uti pretium medium, ubi minor non sit in usu, est admittenda, ut in mediocritate fundata, de qua per *Alex. in l. quod te ff. si cert. pec. Covar. d. cap. 3. num. 1.* & *Navar. in manual. cap. 17. de usur. n. 239. tom. 3.* & ita fuit ultimo per *Clem. Papa VIII. ad septem pro centenario, in statu ecclesiastico, favore Communitatum, Universitatum, civitatum, oppidorum, & locorum dicti status ecclesiastici*

ære alieno onustorum annuus redditus census huiusmodi taxatus, ut in motu proprio ejusdem Papæ Clementis die prima Maij 1592. expedito.

Quartò, † quòd totum pretium simul solvatur in pecunia numerata præsentibus testibus, ac notario, ut ibi, *tutius, &c.* Propterea notarius, & testes videre debent solui pretium integrum in pecunia numerata, & non sufficit ostensio, aut traditio partis pecuniæ, etiam cum confessione vendentis censum, quòd receperit totum, *arg. l. 1. & ult. C. de dot. cau. non num.* quoniam dicta conditio fuit in constitutione apposita ad evitandas fraudes, quæ vix removeri possunt; ut per *Navar. eod. com. de usur. num. 88.*

Quid † auctm, si vendens censum debeat emptori centum antea ob aliquas causas recepta, & postea facta ostensione, & numeratione pecuniarum recipit illa centum in partem pretii, an emens, in foro conscientiæ possit tunc percipere censum ita constitutum, & solutum, est distinguendum, quia, aut illa centum debebantur ex legitima causa ab homine sagaci, qui in sui utilitatem illa exposuerat, & tunc censum integrum exigere potest, quia verè eorum Deo pretium fuerat solutum, aut dicta centum fuerant data in pannis, & aliis mercibus, vel in pecunia numerata ad ludendum, aut in alios usus malos, & varios convertenda alicui juveni bona sua dilapidanti, qua de causa potissimum *Pius V.* motus fuit ad dictam conditionem in constitutione apponendam, & tunc census non erit legitimè creatus, & emptor tuta conscientia illum pro illis scutis malè consumptis exigere non potest, *Navar. eod. n. 88. vers.*